

**XXV. De Atmosphæra Electrica Joannis
Baptistæ Beccariæ, R. S. S. ex Scholis Piis
ad Regiam Londinensem Societatem,
Libellus.**

THEOREMA I.

Corpus B nullatenus electricum, quod mergitur in atmosphera corporis A quoquomodo electrici, dum communicat cum solo, adipiscitur electricitatem contrariam electricitati corporis A.

Read May 17, 1770. **E**STO electrometrum, bacillus nempe ex cera signatoria sesquipedem longus, ejus extremo uni nestantur stamina duo ex lino subtilissima (*vulgo fiandra*) ut vix æquent unam vigesimam quintam lineæ partem; longa sunt duo hæc stamina lineas viginti octo circiter, & frustulis distendantur ex subere, aut ex charta quam tenuissimis.

Prehendo bacilli caput, & stamina admoveo catenæ, ut ipsam attingant; si bacillus siccitate sua, & tempestate ignem electricum vere coercat, stamina discedent ambo in aversam a catena plagam, fient ambo electrica excessu.

Imo & si catenam non attingant, si tamen mergantur satis alte in atmosphæram ipsius, haurient adhuc ejus electricitatem.

Haurient

Haurient adhuc citius, & plenius, si, manente bacilli siccitate, humescant stamina ; iterum haurient facilius electricitatem urgentem, quam prementem ; dico autem *urgentem*, quæ novo constanter ignis electrici motu invalescit, aut instauratur, ceu cum vitrum pergit fricari. Contra dico *prementem*, quæ, ubi invalevit, non instauratur similiter.

Itaque cum in atmosphærā catenæ præsertim prementem electrometri stamina immitto, & tango, arrigunt se, tenduntque recta ad catenam, sive antea penderent, sive forte etiam discederent a catena ; aut, si erant jam arrecta, distenduntur adhuc magis.

Dein, si stamina sic tacta, semoto digito, relinquam in atmosphæra, tum digito iterum persequar, fugiunt a digito in partem aversam, nisi quatenus eam fugam remoratur directio in catenam, qui motus componitur cum vi recedendi a digito.

Si, ubi stamina tetigi intra atmosphærā catenæ, catenam prehendo, dum hujus electricitas perit, stamina augent mutuam divergentiam, accedunt jam ad catenam, quæ sit satis proxima, aut ad digitum ; sed admota machina, quæ sit electrica, ab ipsa descendunt ; a qua etiam discedunt, etsi a catena semoveantur, antea quam electricitas catenæ perimitur.

Quare duo ea stamina cum tangerentur intra atmosphærā catenæ electricæ excessu, electricitatem nanciscabantur, quam habet machina, fiebant electrica defectū.

Sed & digitus immissus in atmosphærā catenæ, quamdiu in ipsa mersus manet, debet defectu electricus evadere pariter, ac stamina ; tum quod par est ratio, tum quod paria edit effecta. Quemadmodum enim ea staminum electricitas facit ipsorum divergentiam ;

tiam; ita discessio staminum a digito parem in hoc demonstrat electricitatem.

Si experimentum capiatur intra atmosphäram machinæ, obtingit ipsum similiter; stamina, & digitus fiunt electrica excessu, dempta electricitate a machina ad machinam accedunt, aut ad digitum; allata ad catenam ab ipsa recedunt.

Eadem experimenta commodius, & expeditius capiuntur in atmosphæris phialæ ad explosionem electricæ; quam dum socius unco sustentat, immitto ego electrometrum in atmosphäram faciei exterioris rite induitæ (ventrem phialæ nominabo) tango stamina mersa; socius phialam ventre prehendit * stamina refugiant uncum, quem ambit atmosphæra faciei interioris; tum pergo experiri. Tango stamina mersa in atmosphæra unci; arrigunt ipsa se ad uncum; socius ventrem phialæ dimittit, uncum prehendit; stamina discedunt a ventre.

Quare universe id constat; corpus B, quod intra atmosphäram corporis A communicat cum solo, electricitatem adipisci contrariam electriciti corporis A; videbimus enim experimenta eadem obvenire in deferentibus aliis corporibus similiter ac in staminibus.

T H E O R E M A II.

Corpus B mersum in atmosphæra corporis A excessu electrici, dum cum solo communicat, fit electricum defectu,

* “ Id semper ago, ut quoties unco experior, phiala ventre prehendatur, quoties experior ventre, unco sustineatur; quæ res Franklinianæ theoriarum est appriime consentanea. Interea “ cavendum ne phiala eodem tempore unco attrectetur, & “ ventre.”

quod.

quod ignis ipsius disjiciatur in solum ab atmosphæra electrica excessu. Et corpus B mersum in atmosphæra corporis A defectu electrici, dum cum solo communicat, fit electricum excessu, quod ignis a solo in ipsum se expandat contra ambientem atmosphærā electricam defectu.

Cylindrum cavitum ex lamina ferrea stamno imbuta clausum parte ima, summa apertum, altum pollices quindecim, latum pollices sex cum dimidio dico puteum electricum; quo quoties experior impositum suppono semper mensulæ rotundæ prælongo vitreo fulcro.

Cylindrum ex ligno solido diametro lineas quindecim, altitudine pollices novendecim convestitum charta inaurata ex laqueari staminibus sericis ita suspendo, ut axe suo respondeat axi putei electrici, & distet undique a peripheria, & fundo ipsius pollices quatuor, lineas sex; animam putei dico.

Rebus ita paratis, dextera asperiorem virgæ metallicæ apicem dirigo in prominentem a puteo animæ partem, læva ventrem phialæ complectens, admoveo uncum ipsius (electrica est ad explosionem) ad latus putei; exsistit scintilla ab unco ad puteum; stellula ab anima putei emicat in apice virgæ; hausto ab anima igne, si quis est, reliquo, anima est electrica defectu ab atmosphæra putei electrici excessu. Illa repellit stamina electrometri, quæ tetigerint ventrem phialæ, quæque attrahuntur a puteo.

Si digito demo excessum a puteo, pergit anima esse electrica defectu; si demo defectum ab anima, pergunt stamina esse defectu electrica, sed accedunt jam ad digitum, a quo intra eam atmosphærā discebant; stamina enim, utpote sejuncta a solo ope bacilli,

bacilli, manent electrica defectu pereunte atmosphæra; quam electricitatem continuo amittit digitus, quippe qui cum solo communicat.

Itero experimentum; sed adigo ad puteum ventrem phialæ prehensæ unco. Emicat ex virga animæ exhibita penicillus; anima est electrica excessu ab atmosphæra putei electrici defectu. Anima repellit stamina electrometri electrica ab unco phialæ, quæ puteus attrahit, &c.

Quibus experimentis & primum confirmatur theorema, & demonstratur hoc alterum.

T H E O R E M A III.

Corpus B mersum in atmosphæra electrica corporis A, quamquam intra eam non tangatur; tamen adipiscitur electricitatem aliquam contrariam electricitati corporis B; sed lentius, prout est accuratius sejunctum a solo.

Suspendo electrometrum, ut bacillus insistat axi putei sursum producti, & stamina quam proxime immineant ori ipsius; tum unco phialæ scientillam immitto in latus putei; stamina continuo incipiunt, & pergunt divergere alterum ab altero, & discedere ambo a digito eminus admoto.

Porro vidimus in ea atmosphæra electrica excessu digitum continuo evadere electricum defectu; itaque & ipsa, quæ discedunt a digito, stamina, defectu electrica fieri est neceesse.

Re enim vera stamina eadem, quamdiu mersa manent in eadem atmosphæra, discedunt a ventre phialæ electricæ defectu.

Qua vero ratione fiant defectu electrica, dum coercente se junguntur bacillo, id hic pervidendum; atque primo animadverto: raro admodum perfecte coercere electricum ignem ipsa ea corpora, quæ ipsi huic muneri aptissima perhibentur. Quod norunt omnes, qui in hoc experimentorum genere versantur satis familiariter.

Addo deinde: ne tum quidem cum optime coercent, omnem omnino intercludere ignis electrici motionem. Funiculi serici, quibus suspendo catenam, columellæ vitræ, quibus fulcio machinam, nudi speculorum Franklinianorum margines, tum etiam, cum optime coercent, aliquam tamen contrahunt electricitatem. Scilicet ea sola electricitatis pars, quæ a medio deferente vi sua effundit se in limites coercentis, atque in eos progrediens ad intervallum ipsi suæ vi proportionale, ordinatim decrescit, ea, inquam, sola vim coercendi perficit.

Quare dicendum: stamina, quamquam bacillo se juncta, posse tamen ignem dimittere aliquem suum vi atmosphæræ excessu electricæ pulsum in partes aeris remotioris, aut in partes bacilli ipsius, ad quas aut atmosphæra omnino non pertingit, aut pertingit minus densa, atque ea ratione electricitatem aliquam tenuem invalescere in staminibus.

Tenuem, inquam, nam stamina, quum primo moventur ab admoto digito, recedunt; sed, ubi digitus accedit paullo proprius, ipsum appetunt. Qui est genius eorum corporum, quæ electricitatem habent quidem homologam, sed alterum habet minimam, alterum satis magnam.

Re enim vera stamina ea electricitate, quam contrahunt sola immersione, divergunt minus, quam ea, quæ

quæ invalescit, dum tanguntur, illaque durat longe minus hac. Si manu puteum tango, & digito, continuo adsum staminibus, affluunt ipsa adhuc ad digitum; si digitum admoveo staminibus paullo tardius, hæc jam hærent in nativa directione electricitate ea tenui prorsus destituta, quam servant validam extra ipsam electricam atmosphærā, cum ab attractione contraxerunt.

THEOREMA IV.

Atmosphæra electrica potest electricitatem homologam debiliorem demere a corpore merso; & indere contrarium.

Experimentum capio alternatim unco, & ventre phialæ tangendo latus putei. Quod experimentum quoniā plurimas habere potest, & pro atmosphæræ varietate, & pro tentamine vario, differentias, ipsum primo tribuo in partes suas, notaturus deinde diversos partis cujusque modos.

Itaque I. Dum unco tango latus putei, stamina imminentis electrometri divergunt. II. Cum dein puteum tango ventre phialæ, stamina conveniunt. III. Mox iterum divergunt. IV. Si iterum tango unco, stamina similiter conveniunt, iterum mutuo discessura..

Atque de prima quidem experimenti parte dictum est satis in theoremate proximo; quomodo discedant ambo stamina alterum ab altero, atque ambo a digito, & a phiala; quo limite concludantur eæ discessiones; qua efficiantur causa. Atque eadem, quæ de his phænomenis explicuimus, quæ obtinent, cum stamina primo divergunt, de similibus sunt intelligenda, quæ

innovantur, cum iterum divergunt, postea quam jam semel, aut iterum convenerunt.

Quare id unum hic est reliquum, ut de modis dicam, quies stamina convenient, cum mutantur immisæ antea in puteum electricitates. Qua in re variæ omnino pro variis adjunctis oboriuntur differentiæ.

Nam, si stamina validiorem hauserint defectus electricitates, dum primo in athmosphæra mergebantur unco excita, cum postmodum electricitas defectus ventre phialæ repente immittitur in puteum, tum stamina defectum fervantia suum, ceu corpora similiter electrica, respuuntur a puteo, sursum effruntur in adversam ab ore ipsius plagam, erectaque suspenduntur, & suspenduntur tanto diutius, quanto magis cohibens est bacillus.

Quandoque (id autem præsertim fit, cum stamina ad aliquam in os putei merguntur altitudinem) stamen alterum arrigit se, sursum manente altero depresso, quasi accommodent se igni electrico aptissime transvehendo, qui densior est in locis puteo propioribus, rario in remotioribus.

Quum stamina aut ambo, aut eorum alterum, quod unum sursum rejectum fit, descenderunt deorsum, pergit divergere, nec convenient, nisi lente admodum, & ventre phialæ urgendo semper latus putei, quo manens validior defectus putei defectum denique perimat staminum debiliorem.

Atque cum ita se habet experimentum, tum stamina sive sint adhuc erecta, sive jam descenderint, semper, antea quam convenient, accedunt ad digitum; nam manent electrica defectu, interea dum digitus in atmosphæra electrica defectu est excessu electricus.

Pro adjunctis contrariis, contraria sunt effecta; videlicet, si staminibus debilem atmosphæra unco excita intulerit electricitatem defectus, neque illatam bacillus satis apte coercent, tum, admoto ventre phialæ, stamina continuo conveniunt, atque iterum divergunt. Imo plerumque, præsertim in ore putei, ne conveniunt quidem, sed vix aliquantulum, & ad momentum temporis minuto divergentiæ angulo, ipsum iterum augent; scilicet momento temporis perit atmosphæra excessus, & invalescit atmosphæra defectus, quæ debilem defectus electricitatem perimit in staminibus satis alacriter, immittitque continuo aliquam excessus electricitatem.

Sed & his adjunctis commode satis experior theoremati veritatem: nam tum filum ex lino neco lateri putei longum sesquipollicem, atque huic admovendo phialæ ventrem, id assequor, ut lente satis, ac pedetentim pereat electricitas excessus in puteo, & defectus in staminibus, mox lente electricitas defectus in puteo, & excessus in staminibus invalescat. Quorum primum dum fit, pergunt fila discedere a digito, sed usque, & usque minus. Dum enim minuitur usque, & usque magis electricitas excessus in puteo, minuitur electricitas defectus in digito, & in staminibus, pro quo decremento discessione staminum a digito decrescere oportet.

Imo id plerumque accidit, ut, antea quam stamina prorsus conveniant, convolent ad digitum; etenim electricitatem atmosphæræ putei, necesse est perire omnem, anteaquam omnem, quam ex ea hauserant stamina defectus electricitatem, prorsus amiserint.

Postea quam stamina convenere ad nativam gravium directionem, tum ex invalecente electricitate defectus in

in puteo oboritur excessus in staminibus; ipsa iterum divergunt, quemadmodum principio divergebant ab electricitate defectus sua, quæ exsistebat ex excessu in puteum immisso.

Quod si iterum unco, mox iterum ventre phialæ alternatim urgeatur puteus, alternatim stamina accidunt, discedunt, atque ita oscillantur, quemadmodum explicui, prout immisæ antea electricitates pereunt, invalescuntque contrariae.

T H E O R E M A V.

I. *Corpora satis alte mersa intra cavitatem satis arcta corporis deferentis, quamdiu ab omni exteriore corpore sunt accurate sejuncta, electricitatem nullam contrahunt ab electricitate, quæ immittitur in corpus deferens cavum, nec quæ tangunt faciem cavitatis, nec quæ intra ipsum suspenduntur diffusa ab ipsis facie.* II. *Quæ suspenduntur intra cavitatem diffusa ab ipsis facie, quam primum communicant cum corpore exteriore, adipiscuntur electricitatem contrariam electricitati immisæ in corpus cavum, & proportionalem capacitati corporis exterioris, quo cum communicant:* III. *Atque tum solum æqualis pars electricitatis immisæ in corpus cavum, explicat se in faciem interiorem cavitatis, & in corpora, quæ ipsam tangunt, ceu in partes ejus faciei.*

Cavitas putei nostri satis arcta est pro hoc instituto, præsertim si phiala sit valide electrica, quo validam in ipso excitet electricitatem; atque corpora in ejus cavo satis alte mersa erunt, si deprimantur infra dimidiam altitudinem ipsius.

Primo

Primo itaque imo lateri cavitatis necro tenuissimum stamen, ut juxta ipsum pendeat; chartulam hoc habet annexam, quo cerni possit.

Tum electrometrum demitto, cavens antea, ut siccissimum sit; atque ideo tempestate experior siccissima, prætereaque bacillum electrometri igni admoveo.

Rebus ita comparatis, puto ipsi etiam accuratissime separato scintillam immitto unco; mox aliam ventre phialæ elicio validorem, aliam unco immitto, ventre elicio aliam; atque ita deinceps.

Quæ dum fiunt, introspicio diligenter; neque interea nutant quidquam aut stamina electrometri, aut stamen aliud puto nexum. Imo hæc lateri putei admota ipsum non appetunt. Videlicet nulla in staminibus electrometri, nulla in stamine putei, nulla in ima ipsius facie interiore cernitur electricitas.

Itero experimentum electricitates in puteum immittens lente, & pedetentim; uncum nempe, mox ventrem phialæ admovendo perbrevi lineo flamini, quod exterius est puto nexum; similiterque tranquilla manent omnia: nulla in staminibus electrometri motio, nulla in stamine putei, nulla staminum electrometri ad puteum propensio. Porro, quando stamina electrometri sustinebantur in ore putei, quod aliquam ibi contraherent electricitatem a putei electricitate, divergebant, & a mutata in contrarium electricitate putei, conveniebant, atque iterum divergebant.

Itaque, quoniam nunc suspensa stamina in ima putei cavitate nullatenus commoventur, nec ab immissa, nec a dempta electricitate, neque a mutata in contrarium;

rium ; liquet electricitatem ipsa contrahere omnino nullam.

Re enim vera post immissam, & mutatam utlibet putei electricitatem, demo omnem ; stamina continuo extraho, digitum nullatenus appetunt meum, nisi forte electricitatem inde contraxerint aliquam, quod bacillus, aut aer non essent siccissimi ; quod cum fit stamina electricitatem respondentem ostendunt, sed contrariam putei electricitati.

Adde, demersa electrometri stamina nedum electricitatem acquirere ullam ab electricitate putei ; sed ne mutare quidem nullatenus, si quam habebant antea. Unco, aut ventre phialæ tango stamina electrometri ; tum divergentia suspendo in ima, & media putei cavitate, puteum exterius tango ventre, tum unco, iterum ventre, iterum unco, &c. stamina electrometri non nutant, tenent divergentiam suam. Demo a puteo inditam, si qua est residua, electricitatem ; stamina extracta pergunt divergere similiter. Si principio tacta sunt unco, uncum ; si ventre phialæ, ventrem pergunt refugere.

Scilicet electricitas staminibus electrometri principio illata, nullatenus mutatur ab illata, ne contraria quidem, in puteum electricitate*.

* “ Quæ quum primo sum expertus excurrebat mihi animus
“ ad propositionem Princ. Newt. num. septuagesimam : si
“ ad sphæricæ superficiei puncta singula tendant vires æquales
“ centripetræ decrescentes in duplicitate ratione distantiarum a
“ punctis, dico, quod corpusculum intra superficiem constitutum
“ his viribus nullam in partem attrahitur ; porro in infiniti cy-
“ lindri cavitate, quemadmodum in sphæra cava similes sunt quæ
“ ad verticem opponuntur evanescentes pyramides ; similes etiam
“ in cylindro finito, quæ pertingunt ad opposita cylindri latera.
“ Quo ex principio demonstratio conficitur pro sphæra cava. Sed
“ de his alias.”

Sed ne in interiore quidem, & imam putei faciem patet, quæ in ipsum immittitur, electricitas: cilindrum cavum, clausum undique, rotundata basium perimetro altum pollices duos, tres latum, suspensum staminibus sericis tribus (situlam dico), dimitto in puteum (in quem aut unco, aut ventre phialæ, aut antea immisi, aut immitto postmodum electricitatem), ut tangat fundum ipsius, aut non tangat; tum recta extraho juxta axem ipsius; exploro digito, manu inversa, aut etiam gena; scintilla nulla; admoveo alias electrometri fila; vix commoventur, & plerumque omnino non commoventur. Interea tamen, si situlam hanc ineptissimam electricitati haurendæ ex interiore putei capacitatem puteo admoveo exterius, fit electrica primo, secundo, tertio, ut semota scintillam aut acceptam a puteo restituat omnino sensilem, aut immissam in puteum recipiat *.

Sed faciamus jam aptam electricitati hauriendæ ineptam haetenus situlam; demitto ipsam rite staminibus sericis suspensam in imum puteum, sed ne puteum ipsa tangat. Tango ego ipsam virga metallica in os putei (electricitate hic imbutus supponitur) immissa; scintillam virgam inter, & situlam emicantem cerno, audio; rem elata situla digitum pungit mihi.

Experimentum itero; situlæ tactæ intra imum puteum mox elatæ admoveo stamina electrometri electrici ab unco phialæ; si puteus electricus erat ab unco, stamina electrometri situlam appetunt, quo refugiant,

* " Horum, quæ profero experimentorum, hoc unum meum non est; sed narratur a D. de Saussure in thesibus, quas Genevæ edidit, anno 1767, *de re electrica*. Qui fibi narratum testatur a civibus Genevensibus, ipsisque narratum Londini " a Franklinio."

electrica hæc sint oportet a ventre phialæ ; et vicissim, si puteus erat electricus a ventre, stamina electrometri, ut refugiant situlam, ab unco debent esse electrica.

Quare situla suspensa in ima cavitate putei tum fit electrica, cum communicat cum corpore exteriore; sed electricitatem tum adipiscitur contrariam electricitati immisæ in puteum.

Atque hoc in experimento situla electricitatem contrahebat vividam, quod communicaret cum solo; e solo enim metallica virga ipsam ego attingebam.

Repeto experimentum : attingens ego ipsam scanno insistens cohibenti ; fit electrica, sed multo minus.

Repeto ; sed virgam longam pollices octodecim bacillo teneo ex cera signatoria adfixo summo capiti ipsius ; scintillam non cerno, non audio. Stamina electrometri prædicta electricitate contraria electricitati putei refugiunt quidem a situla; sed refugiunt parum admodum pro mōdica situlæ electricitate, quæ nempe modicæ respondet virgæ metallicæ capacitat[i]t[i].

Ea ostenduntur omnia staminibus electrometri demersis, quæ cum virga metallica attingo, continuo divergunt, & intra cavitatem putei refugiunt deinde a virga, quæ nempe parte sua i[m]a quemadmodum stamina electrometri, electricitatem contrahit contrariam electricitati putei.

Si stamina electrometri demittantur in puteum electrica, adeoque divergentia, tum puteo indatur electricitas ; si hæc sit homologa electricitati staminum, ipsa immisam virgam appetunt, convenient ; iterum tacta virgam refugiunt. Sin electricitas putei sit contraria electricitati staminum, stamina etiam principio immisam virgam refugiunt ; sed ubi ipsa assèquor, divergunt adhuc magis, & virgam refugiunt longius.

Sed

Sed id nunc ostendendum, dum contraria electricitas communione cum corpore exteriore excitatur in corpore suspenso intra imam cavitatem putei, interea proferre se e perimetro interiore & imo putei, & in corpora, quæ ipsum tangant, portionem electricitatis in puteum immisssæ.

Virgam metallicam bacillo tenens ex cera signatoria admoveo stamini, quod pendet juxta imum putei latus; hoc illam appetit; appetit alacrius, si virgam ipsam manu tango, quod electricitas contraria invalescat vividior in parte virgæ demersa, & vividior pariter propria putei electricitas prodeat in nexum stamen.

Sed in hoc experimento aliqua manet suspicio, ne stamen electricitate moveatur sola, quæ gignitur contraria in mersa virgæ parte; agedum experimento rem conficiamus. Situlæ hæc tenus adhibitæ stamini bus fericis tribus subnecto situlam aliam æqualem, & similem ut inferior hæc distet ab ea sesquipollis circiter. Tum demitto ambas in imum puteum, ut inferior fundum attingat, superior suam teneat ab inferiore sesquipollis distantiam. Immitto, demo, inverti electricitates in puteum immissas, tum situlas extraho juxta axem putei, quin communicarint cum ullo corpore exteriore; tentatae quomodolibet, nullam præ se ferunt satis sensilem electricitatem.

Repeto experimentum; sed ubi situla inferior jam fundum tangit, immissa metallica virga tango superiorem; profilit scintilla; dempta virga, elevo iterum situlas; extractæ sunt ambæ electricæ; sed inferior electricitatem habet homologam electricitati in puteum immisssæ, & debilem admodum; superior contrariam, atque validam.

Nempe e facie interiore, & ima putei prodit electricitatis propriæ pars æqualis electricitati contrariæ, quæ ob immissam virgam excitari potest in situla superiore; sed hæc in situla superiore contraria electricitas est valida admodum, quia sola respondet, & æquatur electricitati toti, quæ prodit e tota interiore putei facie; electricitas illa in situla inferiore est longe debilior, quia situlæ inferiori contingit sola portio electricitatis propriæ putei, quæ proferebat se ex tota interiore, & ima putei facie, cuius faciei modicam partem constituebat situla inferior*.

Portionem autem electricitatis propriæ putei respondentem toti contrariæ electricitati, cui virga metallica facimus aditum, ut ineat in situlam superiorem, portionem, inquam, illam explicare se ex tota interiore ima putei cavitate, vel inde liquet, quod, quo tempore attingitur situla superior, eodem stamen nexum interiori, & imo putei lateri discedit a latere ipso.

COROLLARIUM I.

Porro pro re hac nōn alia inter faciem interiorem, & exteriorem putei intercedit differentia, nisi quod spatium illa comprehensum concludatur undique ab atmosphæra electrica ambiente puteum exterius, &

* “ Atque hæc contrariarium in vicinis situlis electricitatum differentia facit, ut cautione opus sit aliqua pro iis explorandis; superior enim longe attrahit stamina electrometri, queis immissa sit electricitas homologa immissa in puteum; quæ ut inferior situla repellat, admovenda sunt imæ ipsius basi; si vis, ut situla inferior repellat undique stamina homologæ electricitatis, demenda est primum electricitas a situla superiore.”

superius;

superius; contra in spatum ambiens faciem putei exteriorem patet quidem undique electrica atmosphæra, sed quæ finitur in aërem nullatenus electricum. Itaque hinc repetenda est causa, quamobrem corpora mersa in interiore, & ima putei cavitate nullam imbuant electricitatem, quam imbuunt corpora mersa in facie exteriore aut in ore putei. Re enim vera puteum confeci ex charta inaurata descripto æqualem, & similem, sed qui staminibus fericis explicatur. Quod cum sit, electricitas hiscit æqualis ex utraque ipsius facie, & æqualiter contrariam electricitatem affectant corpora, quæ in atmosphæra merguntur faciei utriusque.

C O R O L L A R I U M II.

Scilicet ignis redundans patere potest in atmospharam electricam circa exteriorem putei faciem, potest ingeri in faciem aëris attigui, quod vibrare possit nativum ignem ex consequentibus aëris stratis in strata usque, & usque consequentia, aut etiam in solum, aut in mersa quævis corpora deferentia. Contra ejusdem ignis redundantis pars nulla patere potest in aërem attiguum interiori putei cavitati, quod is aër urgeatur undique æqualiter abs igne redundante exterius superius constitente electricam atmosphæram. Unde, quando ignis nativus disjici nullo modo potest ex eo aëre interiore, ne ullus quidem redundans ignis potest addi strato aëris attiguo interiori faciei.

COROLLARIUM III.

Ratio electricitatis, quæ defectus dicitur, videtur eadem: abs aëre attiguo faciei exteriori putei ignis aliquis nativus subduci potest, quod in strata consequentia confluere possit ignis nativus (quoad aëris ad ignem electricum habitudo patitur) a stratis usque, & usque remotioribus, aut etiam a solo, aut a corporibus deferentibus. Contra a facie aëris attigui faciei interiori putei ignis nativi subduci nulla pars potest, quod is aër ab atmosphæra superius, & undique exterius puteum ambiente sollicitetur æqualiter, ut ignem nativum deponat suum. Unde, quando ignis redundans affluere nullo modo potest ad aëris partes remotiores, ne ulla quidem nativi pars demi potest ex aëre attiguo.

COROLLARIUM IV.

Cui explicationi ne quid subsit minus certum, eam non aliter intelligendam volo, quam quod experientia postulat: qua constat. I. Ignem redundantem explicantem se circa faciem exteriorem corporum, id eniti, & plane efficere, ut ignem nativum disjiciat a corporibus mersis in stratis consequentibus. II. Ignem nativum demptum abs aëre attiguo faciei exteriori corporum id præstare, ut ignis redundans confluat in corpora mersa in stratis consequentibus. III. Ignem redundantem explicare se nullum in aërem attiguum interiori, & imæ putei faciei, nisi quatenus per communionem cum corporibus exterioribus tantumdem ignis possit disjicere a corporibus mersis in eo interiore aere.

aëre. IV. Ignem nativum demi nullum abs aëre attiguo interiori, & imæ putei faciei, nisi quatenus tantumdem ignis redundantis possit confluere in corpora mersa in eo interiore, sed remotiore aëre.

COROLLARIUM V.

Jamvero nonne pori corporum sunt veluti totidem minimulæ evanescentes nostri putei cavitates, quæ aptæ sint quidem igni electrico transvehendo, cum patet ipsi via ad alia corpora (aut potius ad aërem corpora alia ambientem), ceu cum ex ima cavitate putei scintilla profilit ad virgam, aut ad digitum immissum ; sed nullum in se admittant ignem redundantem, nullam deponant nativi ignis partem, & excessum totum, aut defectum contineant in facie exteriori corporis ?

COROLLARIUM VI.

In hac hypothesi intelligitur, quomodo corporum electricitas superficiebus corporum, non massis respondeat : quam Franklinii opinionem anno 1753, confirmabam ; ipsaque hæc res hypothesis illam plane videtur expostulare.

COROLLARIUM VII.

Præterea, si pori corporum ullam imbuerent electricitatem, cum situlam demitto in fundum putei, tum maxime imbuerent aliquam ; seu electricitas effusa in poris putei, & illa etiam, quæ atmosphærā exteriorem constituit, effunderit se ad æqualitatem in

in poros situlæ; eaque in situla extracta pateret; quam tamen a puteo iatis alto arctoque, situla accurate separata (*insolata*), haurit nullum.

COROLLARIUM VIII.

Adde: corpus deferens parte una sua electricitatem habere posse aliquam, dum alia habeat nullam, aut etiam contrariam. Ceu evenit cum e solo manum ego unam immitto in atmosphærā catenæ, atque aliam in atmosphærā machinæ ingero. Similiter cum e scanno electrico manum unam immitto in fundum putei, illa, & brachio, qua parte mergitur in atmosphæra putei, sum electricus defectu, parte reliqua corporis sum electricus excessu; scilicet in aërem puteum interius ambientem expandere se potest excessus puteo immislus, quia ex aëre remotiore manum ambiente disjicere potest tantumdem ignis in aërem ambientem corpus reliquum extra puteum constitutum; atque hæ contrariae electricitates, quemadmodum experiendo pervidi, sunt inverse (quod res plane postulat) uti partes, ad quas pertinent. Nempe electricitas defectus in manu tanto vividior est electricitate excessus in corpore reliquo, quanto latius patere debet circa corpus reliquum ignis, qui in hujus ambitum disjicitur abs ambitu manus. Similiter cum situlam demissam ad imam putei cavitatem attingo virga metallica, situla extracta modicum habet defectum (puteus hic ponitur semper electricus excessu) virga, quam teneo bacillo cohibente, modicum habet excessum.

C O R O L-

COROLLARIUM IX.

Eamdem hypothesim postulare videntur experimenta Cantoni adjecta experimentis Franklinii. Eamdem, pulcherrimum Franklinii experimentum de atmosphæra explicante se circa catenam, quæ evolvitur e sypho vitro. Eamdem, experimenta illa mea, quæ scribebam in septima ad Beccarium epistola de electricitate, quam appellabam aëream, quod ipsam effunderem late in aërem, vaporosum, cujusmodi aér est, qui in clausis conclaviis halitus imbuit a camino, a fornacula, aut eos etiam, qui expirant plurimi a corpore humano. Porro assequor quamfacillime electricitatem hanc aëream fumum excitando ex thure in medio conclave. Tum urgendo electricitatem catenæ, observo; I. stamina electrometri, quandiu bacillo siccissimo sejuncta manent a corpore omni, vix divergere; II. accedere ad digitum admotum defectu electricum; III. Attrectata, divergere mutuo, & discedere & a digito, & a ventre phialæ.

COROLLARIUM X.

In hac hypothesi facere electricum excessu corpus deferens idem erit ac immittere ignem electricum nativo copiosiorem in aërem attiguum, sed ut is vibret ignem nativum ex stratis consequentibus. Facere electricum defectu idem erit ac demere ignem nativum ex aëre attiguo; sed ut ignis redundans confluat in strata consequentia.

COROLLARIUM XI.

Itaque ipsa aërea electricitatis affectio pertinet jam ad affectionem, quam in vitro invenit Franklinius, quamque in talco, in sulphure, in pice, in colofonio, in resinis, in corporibus nempe omnibus satis apte cohibentibus demonstravi constare eamdem. Scilicet, quemadmodum corpora cohibentia alia, ita & aér corpus fluidum ipse quidem, sed & cohibens, quoad sua patitur fluxilitas, dum admittit ignem redundantem in facie sua attigua corpori, quod dicitur excessu electricum, nativum vibrat e stratis consequentibus ; & dum exuit nativum ex facie sua attigua corpori defectu electrico, redundantem allicit ad strata consequentia ; imo (quod analogiam confirmat) aér non admittit redundantem, nisi nativum vibret exposito ordine, nec exuit nativum, nisi alliciat redundantem.

COROLLARIUM XII.

Hinc scintilla omnis genus esse videtur imperfectæ explosionis ; cum digito scintillam cieo ex catena, ignis redundans ex facie aëris attigi catenæ init in digitum ; intereaque ignis nativus, qui vibrabatur ab eo igne redundante in strata consequentia, refluit in sua loca per minimula, ad quæ vibrabatur intervalla ; cum scintillam digito immitto in machinam, ignis nativus affluit ad attiguum aërem, atque ignis, qui affluxerat per minimula intervalla in strata consequentia refluit ad loca sua.

COROL-

COROLLARIUM XIII.

Certe, cum digitum mergo in atmosphæra catenæ, jam ignis abs aëre digitum ambiente vibratur in digitum, antea quam ignis redundans in aëre attiguo catenæ appellat ad digitum. Cum mergo in atmosphæra machinæ, ignis nativus digiti effundit se in aërem digito ipsi proximum, anteaquam pertingat ad machinam; quæ etiam res impedit, ne directio scintillæ cerni possit.

COROLLARIUM XIV.

Universæ vi electricitatis B non accedit ad A, nisi quatenus A & B aut habent electricitates contrarias, aut alterum alteri immittit contrariam suæ. Sic bracteolæ impositæ siccissimæ ex vitro ex resina stratis non advolant ad catenam, quam appetunt quamprimum digitus supponitur iis stratis contra bracteolarum loca. Tum enim bracteolæ deponunt nativum ignem in attiguam vitri faciem, quando opposita potest immittere suum in digitum; quod experiendo cognovi: nam bracteola vix discedebat a vitro, distracta stamine ferico, ne catenam afféquereatur, inveniebatur defectu electrica.

COROLLARIUM XV.

Id ipsum vidi in tæniis. Tænia ferica B nullatenus electrica, sed siccissima ab igne pendet juxta nativam directionem prope tæniam sociam vehementer electricam; neque hæc illam appetit ullatenus; sed

cum B potest dimittere ignem suum (si A sit excessu electrica) in proximum deferens corpus, tum demum accedit ad A, ipsique adhæret. Qua in coitione redundans in tænia A ignis fundit se in tæniam B pro contraria hujus electricitate; scilicet contrariae tæniarum electricitates pereunt quatenus æquales; sed permanet ad tempus aliquod dispositio frictione, aut aliter immissa, qua, dum tæniæ disjunguntur, A & B vindicant sibi mutuo illa excessum, hæc defectum suum pristinum. Quam dispositionem nominabam electricitatem vindicem in epistola ad Franklinium eo nomine insignitam.

P. S. A data illa ad Franklinium epistola pervidi postmodum electricitatem vindicem in vitris incipere etiam ante explosionem. Esto exemplum: duo vitra junctim electrica, cum principio disjunguntur, anteaquam tangentur ullenius, amittunt partes aliquas electricitatum, quas habent in faciebus, quæ disjunguntur, seu quæ mutuo denudantur. Quare vitrum quodque in facie utraque electricitatem demonstrat congruentem externæ faciei suæ. Atque ita semel, bis & ter accidit; sed electricitatis partes, quas amittunt vicibus consequentibus, sunt usque, & usque minores. Plerumque, cum quarta, aut etiam tertia disjunguntur vice, electricitates ex disjunctione jam demonstrant nullas in faciebus oppositis; sed deinceps incipiunt ostendere jam aliquas, & contrarias iis, quas principio demonstrabant, quainvis retineant adhuc vim explodendi, nec sint attrahata simul in oppositis faciebus. Scilicet vitrum quodque incipit jam electricitatem ostendere congruentem internæ suæ faciei, quæ disjunctione denudatur. Atque ita pergunt vitra post

post explosionem quam diutissime vindicare sibi electricitates easdem ex disjunctione, conjunctione & attractione amissas.

Ad earum vero electricitatum mutationem quod attinet, quæ fit ex inversione vitrorum, res mihi certo constat, quoties invertuntur vitra ambo simul; sed, cum invertitur solum vitrum tenuius, inversio electricitatum quandoque non obtinuit; quod qui fiat persequar brevi, fusam, quam vindex electricitas postulat, proferendo tractationem.

Taurini, 26 Februarii, 1769,